



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt anima per derelictionem probetur. 57

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

LIBER II.

ideo data occasione facile a proposito resiliunt et auertuntur: cumque ad denuo inchoandum ab alijs admonentur, ita respondent: Miser sum atque fragilis, & hæc ob sui sublimitatem excedunt intellectum meum. Malo infimis inhaerere. Qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Et istud humilitatem vocant. Sed re vera non humilitas, sed pusillanimitas est, qua de seipsis periculum facere verentur. O quantum dolebunt isti, morte accedente, quod sani & incolumes omnia rescare noluerunt. Quod autem miseros se esse & hæc minime intelligere dicunt, inde merito coram Deo & hominibus erubescere debent, quod videlicet habitum religionis deserunt, & tamen ea, quæ ad spiritum & vitam internam spectant, nequaquam nouerunt. Et quod addunt: Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Ipsi certe spiritus simplicitatem, & mundæ conscientie securitatem minime cognoscunt. Et idcirco tantum in religiosis refriguit charitas Dei, quod videlicet nimium rebus caducis inhaerent & in eis requiescunt, & exterioribus duntaxat consuetudinibus ac modis contenti, nihil omnino de interioris hominis exercitatione curant. Porro, quantum his alijsque defectibus implicati sumus, tantum adhuc mori habemus. Quæ tamen mortificatio per amorem cum Deo unionem nequaquam ita difficilis erit, ut nobis apparet. Amor namque cuncta facilia reddit, & per ipsum facile defectus omnes superantur, & amor creaturarum & cuiuslibet rei caducæ in amaritudinem vertitur.

Qualiter anima a Deo vocetur, & per derelictionem probetur. Cap. LVII.

X iij Itaque

MARGARITAE EVANG.

ITaq̄ si vocē dñi Dei nostri audierimus, non obduremus corda nostra, sed intrepidi sequamur eū, quocūq̄ nos ipse p̄cessit, quantumlibet difficile vel durū, tenebrosū vel infructuosū nobis iter illud esse videatur. Quanto eū difficilius nobis esse videtur, tanto certiores sumus in recto nos itinere cōstitutos, quodq̄ a coelesti patre iam trahamur, & amplius trahēdi simus per dilectissimū & vnicū filium suū, qui nos difficillimo modo p̄cessit: qui licet in tātum a Deo patre suo derelictus esset, ac si filius eius minime fuisset, semper tamen paratus erat amplius derelinqui, & in ea desolatione ad extremū vsq̄ iudicij diem permanere, si sic beneplacitū patri suo fuisset. Quantūcūq̄ igitur male sentiat, nequaquā turbari debet verus Dei amator. Quos enim ad verā viā perducere vult dñs, illos talia sentire permittit, ita vt sibi penitus decepti, & cētum laqueis inuoluti videantur, quodq̄ omnes alij p̄ter ipsos recta via gradientur, quod item tempus suū inaniter expendant, & magis portis inferi, q̄ cœli appropinquent. Nam a diabolo per hæc aliaque tentantur, quatenus ad ea, quæ iam deseruerunt, reuertantur. Etenim melius tunc habuisse sibi videntur, q̄ modo, dum Deum sequi volunt, eo q̄ ariditates crebriores in seipsis experiantur, quas antea minime fuerant experti. ¶ Si itaq̄ patienter vsq̄ ad extremum istud sustinere poterunt, forte per mensem, forte per dimidium annū, & multo magis quam ante cū huiusmodi desolatione ad Deum sese cōuerterint, omnēq̄ voluntatē suam in ipsum proiecerint, ita vt si ei placeret, omni tempore vitæ suæ in tali desolatione libēter permanere vellent.

LIBER II.

certe si viderit in eis omnipotens Deus hanc bonam voluntatem & sui resignationem, continere se ultra non valebit, quin perfluat atque perfundat cuncta interiora ipsorum, & sua diuina eas claritate illustret: ex qua veram quandam affecutionem percipient: videbuntque & aduertent, quare eos Deus talia sentire permiserit: quo videlicet amor eorum perfectior & purior esset, sentientque quod quanto angustia siue pressura fuit intentior, tanto spiritus factus sit liberior, & quanto tenebrositas obscurior, tanto anima fecundior effecta sit. Et hinc iam tantam erga Deum desiderium & amorem concipient, ut si omnia membra ipsorum corpora essent, liber ea vsque ad extremum iudicij diem ad talem desolationem offerrent, cuperentque amarissimæ domini ac sponsi sui passioni conformari, eamque sequi.

FINIS secundi libri Margari-
tæ Euangelicæ.

X v

Margae